Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31632
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Ac si aperte dicatur: Patrum precedentium mortem aspicite: et remedia vitae vestrae cogitate. Et abierunt alius in villam suam, alius vero in negociationem suam. In villam ire est labori terreno inmoderate incumbere. In negociationem vero ire est actionem secularium lucris inhiare. Quia enim alius intentus labori terreno, alius vero mundi huius actionibus deditus misterium incarnationis dominicae pensare et secundum illud vivere dissimulat, quasi ad villam vel negocium pergens venire ad regis nuptias recusat. Et plerumque quod est gravius, non nulli vocati gratiam non solum respuunt, sed etiam persecuntur. Unde et subditur: Reliqui vero tenuerunt servos eius et contumeliis affectos occiderunt. Inter eos qui non recipiunt evangelii veritatem multa diversitas est. Minoris enim criminis rei sunt qui occupati aliis venire noluerunt, quam hi qui contempto invitatoris affectu verterunt humanitatem in crudelitatem, et tantum servos regis vel contumeliis affecerunt vel occiderunt. Rex autem cum audisset iratus est, et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Exercitus seu ultores angelos malos, seu Romanos intelligimus sub duce Vespasiano et Tito, qui occisis Iudeorum populis peccatricem succenderunt civitatem. Homicidas perdidit, quia persequentes interemit. Civitatem eorum succendit, quia illorum non solum anima, sed et caro quoque in qua habitaverant, eterne gehenne flamma cruciatur. Missis vero exercitibus extinxisse homicidas dicitur, quia hominibus omne iudicium per angelos exhibetur. Tunc ait servis suis: Nuptie quidem parate sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni.

Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis vocate ad nuptias. Si in scriptura vias actiones accipimus, exitus viarum intelligimus defectus actionum, quia illi plerumque ad Deum facile veniunt, quos in terrenis actibus prospera nulla comitantur. Et egressi servi eius in vias congregaverunt omnes quos invenerunt bonos et malos, et implete sunt nuptie discumbentium. Gentilium populus non erat in viis, sed in exitibus viarum. Queritur autem quomodo in his qui foris erant inter malos boni aliqui sint reperti. Hunc locum plenius tractat apostolus ad Romanos: Quod gentes naturaliter facientes ea que legis sunt condempnent Iudeos qui scriptam legem non fecerunt. Inter ipsos quoque et istos est infinita diversitas, cum sciamus alios esse proclivius ad vitia ruentes et ad mala, alios ad honestatem morum virtutibus deditos. Quod ecce iam ipsa qualitate convivantium aperte ostenditur, quia per has regis nuptias presens ecclesia designatur, in qua boni et mali conveniunt. Permixta quippe est diversitas filiorum. Boni enim soli nusquam sunt nisi in celo, et mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Hec autem vita que inter celum et infernum posita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium cives communiter recipit. Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Quid ergo debemus intelligere nuptialem vestem nisi caritatem? Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in sancta ecclesia assistens fidem habet, sed caritatem non habet. Recte enim karitas nup-